Io. Alb. Bannius. Constantino Hugenio
Equiti etc. S. P. D.

Nobilissime Domine. Quandoquidem tibi placet meae
tenuitati ita condescendere, ut et meum sentias, et amplius me de rebus
Musicis audire velis: facile condemnam Gallorum importunitatem, ineptiasque;
donec paradigmatici aliquid collecta guttura proferant: et verum rationaliter
Musicam tractabo. Si enim in me est aliquid quod te laedit: injuste id
me possidere arbitrande. Ejus rei argumentum esto cantio illa versibus
Gallicis, κατ' ἐξοχὴν poeticis, a me ut petieras, et modulamento, et quatuor
vocum concentui aptata; ut nihil desit quod indagandum videatur. Verba
ista mihi videntur continere minas ac perturbationes amabiles: adeoque ex
G. authentico circulo Modulamentum propagandum censui. Constat enim
ex tertia specie διαπασων: cujus Basis est‡ διατεσσαρων temperata *D.
G. Et ut clarius id intelligas: basis quinta est ditoni species Robusta
G. ♮: caput vero est semiditoni species Mollissima. ♮*D. Unde minas
ac perturbationes amabiles in Modulamentum et concentum aptius venire
quivis facile intelligit: praecipue si tabellas istas antehac tibi exhibitas
perspexerit. De caetero tu judica; at nos solis auribus: ne Harmoniam mun-
di Musici ex opinionibus conflatam, incertamque, et vagabundam cum no-
cturnatis arundinibus arbitrere: sed sapientia constantem, atque definitam
veritate agnoscas. Ut autem solidi sinae veritatis penetralia, sine ullis
ambagibus subeas facilius: tecum serio expendes, quod modis basis concentus
huic modulamento aptari possit. Quorum schematismum in addita tabella
exhibui: ne vel auspice nimium quaeras; vel de mentis meae sententia am-
bigas. Caetera vero coram definiemus atque demonstrabimus; nam in diem
Lunae, tertiam scilicet Februarii, adventum meum tibi, Deo favente, polliceor.
Cavendum enim serio praemoneo, ne falsa quaepiam imaginatio mentem ~~men~~-
tuam, sensuum solo arbitrio, praeoccupet: quae te a ~~veritatis~~ momentosa neces-
sitate abducat. Nam si in tanta rerum varietate, consonantiam unam aliis
omnibus praeplacentem amplectare; rationem vero variae demonstrationis
omnino subesse ne dubites. Harani liber de Musica, nec me doctiorem,
nec Γαλλικολεγον, profecto faciet: sed respondendo Gallorum opinionibus
procul dubio expeditiorem. Sed etiam de hoc coram opportunius loquemur.
Biduum tibi dicabo, ut opportune colloquamur: si tamen id occupationes
tibi permittant, cum tuus ero. Monochordon porro ejusque explicationem
aliarumque literarum a te petita exempla, posterius transmittam. Ha-
nc enim amanuensis meus omnia absolvere non potuit. De opere meo

‡ διαπεντε species Robustissima G. *D. Columen vero species

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.
RIJKS ARCHIEF.

BPL 2212

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2622

Etiam quod Mersennus perpetuo urget, coram tibi satisfaciam. Tantum est, ut ad solutionem propensissimo creditori, inter tot remoras, tibi non gratas, mihique taediosas, dies amplior concedatur: qui utinam malesanis ludificationibus non amplius, aut frangatur, aut distrahatur. Tibi vero amicissime Hugeni perpetuo vivam, et studiosissime serviam. Vale. Harlemi prid. Kal. Feb. CIↃ.IↃC.XLI.

'S RYKS ARCHIEF.

Tuus J. Alb. Bannius

3 1641.

Sed heus! Inscriptio haec ad me, a quodam maximi nominis viro Italo, in Germania nunc degente, venit. Cujus ille a doctioribus Belgis judicium requirit: tum notarum explicationem; tum expositionem Historicam. Id te Doctissime Hugeni latere, nefas est tot. [illegible] monumentum Antiquitatis.

Inscriptio reperta nuper in oppido Flaminia

M. AUREL.
MACEDO
VET. NAT. DELM.
EX SUOPT. SIBI. ET
AUREL. VICTORIÆ.
LIBERTÆ. VIVUS
POSUIT
SI QUIS. HANC. ARC.
P. EX. C. P. SS. A. D. F. C.

21

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2622

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2622